

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae XXIX.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

*diuturnitas, quae maximas luctus
vetustate tollit.*

Rem communem] Rempubicam.
Sisenna hist. lib. 4. *Quondam Sa-
biai feruntur vouisse, si res commu-
nis melioribus locis constitisset, se
per sacrum facturos.*

Nunc quidem] Quomodo res
habet, ut nunc quidem est.

In eo] In Caesare.

In cuius potestate omnia sunt]
Hoc varie dixit lib. 4. epist. 7. 8.
9. 13.

Id ipsum] Ut in eius potestate
essent omnia.

Nostri culpa] Lib. 9. epist. 6.
Haec in voluntate fuerunt.

Ad prima redeo] Ad primam
epistolae partem: in qua dixit, eum

et vidisse multum, cum in Grae-
ciam se contulit; et beatum esse,
qui abesset, non modo sapientem,
quam sententiam iteravit sequenti-
bus verbis: *Sapienter haec reli-
quisti, si consilio; feliciter, si casu.*
lib. 1. ad Attic. epist. 12. *Ut ad
prima illa redeam.*

Feliciter, si casu] Si non ideo
discessisti, quod haec putares euen-
tura. *Casu et consilium* opponun-
tur. lib. 5. epist. 2. *Huius ego tem-
eritati si virtute atque animo non
restitissem: quis esset, qui me in
consulatu non casu potius existi-
maret, quam consilio fortem
fuisse?* Potest igitur felicitas esse
in aliqua re sine consilio, in omni
re non potest.

EPISTOLAE XXIX.

ARGVMENTVM.

*Memoriam declarat accepti a Cicerone beneficii, et commenda-
ticias ab eo litteras petit ad Sulpicii successorem. Scripta eo anno, quo
primum Caesar quartum consul fuit sine collega, deinde Q. Fabius
cum C. Trebonio, ut patet ex epistola sequenti.*

EXPLANATIO.

*Sum enim xēhaci aēu tuus, ut hōei
de Attici nostri*] Vsu quidem
tuus, possessione autem Attici. Ean-
dem sententiam lepide expressit
Lucrētius lib. 3. v. 984.

*Vitaque mancipio nulli datur,
omnibus usu.*

Mancipium] Possessio ipsa, et,
ut ita loquar, ius domini.

*Quod quidem si inter senes co-
emptionales venale proseripserit*]
Non opinor hoc dici: si me Atti-
cus, mancipium suum, venale pro-
seripserit inter senes, qui coemant;
sed, inter senes, qui coemptiones

faciant, aliud est enim coemere,
aliud coemptionem facere. coemere
notam habet significationem: co-
emptionem facere, est, cum mulier
in manum viri conuenit sollempni
quodam stipulatione, qua se inui-
cem succedebant: ut etiam dome-
stica sacra mulierum tamen, non
virovum, interirent, non enim vir
in mulieris potestatem, sed mulier
in potestatem viri coemptionis iu-
re transit: itaque amittit paterna
sacra. qua de re iurisconsultos Ci-
cero exagitat in orat. pro Murena
c. 12. *Mulieres, inquit, omnes,
propter*

propter infirmitatem consilii maiores in tutorum potestate esse voluerunt: hi inuenerunt genera tutorum, quae potestate mulierum continerentur. Sacra interire illi noluerunt: horum ingenio senes ad coemptiones faciendas, interimendorum sacrorum causa, reperti sunt. In omni denique iure civili aequitatem reliquerunt, verba ipsa tenuerunt: ut, quia in alicuius libris, exempli causa, id nomen inuenerant, putarunt, omnes mulieres, quae coemptionem facerent, *Caias* vocari. Quod si quis roget, quinam sint hi senes, quos ait Cicero, coemptionum faciendarum causa, iurisperitorum ingenio repertos: dicam esse tutores illos, quibus patres familias eam potestatem testamento reliquerunt, ut filiae suae, cum nubarent, coemptionem sine eorum auctoritate facere non possint. id colligere licet ex orat. pro Flacco, in qua c. 34. sunt haec. In manum, inquit, conuenerat. Nunc audio. sed quaero, *usu an coemptione?* *usu* non potuit. nihil enim potest de tutela legitima sine omnium tutorum auctoritate diminui. coemptione? omnibus ergo auctoribus. in quibus certe Flaccum fuisse non dices. Ad hoc spectat illud, quod lib. 1. de Orat. c. 56. scriptum est: Nam neque illud est mirandum, qui, quibus verbis coemptio fiat, nesciat, eundem eius mulieris, quae coemptionem fecerit, causam posse defendere. In eam igitur coemptionem, tutorum omnium, ut ostendimus iam, consensu et auctoritate fieri solitam, iocari Curius voluit, cum de se, tamquam mancipo, vendendo loqueretur. ad verbum autem potius, quam ad sententiam, respexit. nam reuera

coemptio illa, a mulieribus facta, nihil ad coemptionem mancipiorum attinebat. Livi lib. 3. c. 72. *Scaptio ne hoc coemptionali seni assignaturos putarent finitimos populos?*

Egerit non multum] Lucri parum fecerit: in quo se ipsum Curius modeste extenuat; quasi vilis et contemnenda sit Attici possessio, fructus autem Ciceronis magni pretii: subiungit enim, *at illa nostra praedicatio quanti est?*

Quod simus, quod habeamus, quod homines existimemur, id omne abs te habere] Simile illud Planci lib. 10. epist. 24. *Quod uiuit Antonius hodie, quod Lepidus una est, quod exercitus habent non contemnendos, quod sperant, quod audent; omne Caesari acceptum referre possunt.* Et illud Ciceronis lib. 1. ad Attic. epist. 14. *Se, quod esset senator, quod cinis, quod liber, quod uinceret, mihi acceptum referre.* Nec dissimile illud Phil. 2. c. 5. *Frequentissimo senatus sic placuit, ut esset nemo, qui mihi non, ut parenti gratias ageret: qui non mihi vitam suam, liberos, fortunas, rempublicam referret acceptam.*

Sulpicii successor] Acilio. quod e sequenti epistola cognoscitur.

De meliore nota] Diligentissime. translatio a doliis, quibus diuersae inuruntur notae, ut internoscantur vina. Eodem modo Catullus ad Manlium carm. 67. v. 27.

Quare, quod scribis Veronae turpe Catulla

Esse, quod hic quisquis de meliore nota

Frigida deserto tepescit mentis cubili.